

ITEM LEONIS PPAE AD PULCHERIAM AUGUSTAM

GLORIOSISSIME ATQUE PISSIME PULCHERIAE Augustae.

5 *Gaudere me plurimum, exultare in Domino pietatis tuae scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur quantum catholicam diligis fidem, et quantum hereticum detestaris errorem. Haeresis quippe est nimis impia et evangelicae veritatis inimica, quae non portionem aliquam ledere, sed ipsa Christiane religionis conatur fundamenta convellere, negans sempiterni patris filium sempiternum de utero beate virginis matris veram carnem nostrae sumpsisse nature, et eos damnatione percellens, quia evangelica et apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, il-*  
10 *ludque frustra pretendens, quod Nicaene synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienum, gloriosissima augusta. Unde, quia non deserit ecclesiam suam divina protectio dicente domino: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, eodemque opere eadem mente spiritus Dei et clementiae vestrae sollicitudinem et curam nostri cordis accendit, ut de remediis procurandis eadem utrique cuperemus, quae prius petivi, nunc quoque instantius peto, maiore utens fiducia depraecandi, posteaquam praesidium venerandae exortationis accepi. Spero autem adfuturam misericordiam Dei, quod cooperante vestra clementia pestiferi erroris possit morbus auferri, ut quidquid ipso inspirante at-*  
15 *que auxiliante potuerit salubritas fieri, cum vestrae fidei laude peragatur, quoniam res omnes aliter tute esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent et regia et sacerdotalis defendit auctoritas.*

20 *Data XVI Kalendas Aprilis, Valentino augusto septies et Avieno vv. con. consulibus era CCCCLXXXVIII.*